

BONO CUM DEO  
EXERCITATIO  
PHILOLOGICA, HISTORICA, THEOLOGICA,  
De  
**PRESBYTERIS  
LAICIS,**

EX I. TIMOTH. V. comm. 17.

Aliisque S. Scripturæ Locis,

*Quam*

IN ACADEMIA REGIOMONTANA,

*Consensu Venerabilis Theologorum Ordinis,*

SUB PRÆSIDIO

**GODOFREDI WEGNERI,**

S. S. Theol. D. & Prof. Ordinarii,

*Publicæ ventilationi exponit,*

**JOH. CHRIST. DOLLMANNUS,**

Curlandus, Phil. & Theol. Stud.

ANNO M DC XCVIII. die 17. Julii,

IN AUDITORIO MAXIMO.

REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.

*86. 20.*

*a. cxxxviii. 40.*

Coll. diss. A  
128, 40



SERENISSIMO, CELSISSIMOQUE  
PRINCIPi ac DOMINO,

DOMINO  
FERDINANDO,  
DUCI  
IN LIVONIA,

PER CURLANDIAM & SEMGALLIAM,  
&c. &c. &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

Deum Propitium,

Vitam Longævam,

Felicitatem Perennem,

*Et optima rerum ac florentissima apprecatus,*

Disputationem hanc Academicam,

Devoto animo

Dat, Dicat, Consecrat,

JOHANNES CHRISTIANUS DOLMANN,  
Theol. & Philosoph. Studiosus.





De Presbyteris Laicis

§. I.



*Seniorum* nomen omni hominum ætate grande & venerabile fuit. Tributum autem est (1) *etate grandioribus*, non tamen planè decrepitis, unde *senex* & *plenus dierum*, distinguuntur, Jer. 6, 11. & quando *decrepitus* hoc nomine appellatur, additur aliquid ad eum denotandum, e. g. *satur dierum*, *plenus dierum*, qui implevit *dies suos*, Jer. 65, 20. interim hi quoque sæpius hoc nomine veniunt absque addito, quia senectus ab anno 50. ad finem vitæ durat. In sacris literis *Senex* denotatur per *annosum*, *canum*, *provecum etate*, *virum dierum*, & *multitudinis annorum*, item per *habentem scipionem* seu *baculum in manibus suis*, Zachar. 8, 4. *Hebrais* dicitur *יְשֵׁן* *Græcis* γέρων, πρεσβύτερος, & πρεσβύτης, *Latinis* *Senex* & *Senior*, qui ad eam ætatem pervenit. Fuit etiam venerabilis plerisque populis, adeò ut *senes* parentum loco habeant, & parentum nomine appellent: quomodo Paulus matrem Rufi vocat *matrem suam* Rom. 16, 13. & Johannes *seniores* appellat *patres* 1. Ep. 2, 13. 14. & *juniores* *liberos*, *filios* vel *filias*, v. 1. 18. &c. Et quia parentibus à liberis honor & reverentia debetur, ideò, quod ipsa natura dicitur, etiam lege præceptum est, ut *senes* honorent, Levit. 19, 32. & in testimonium reverentiæ, quæ eos prosequuntur, coram eis assurgant, *ibid.* seque eis subjiciant, 1. Petr. 5, 5 & ante eos non loquantur, Job 32, 4. 6. 7. Hinc Aristoteles 1. 9. Eth. c. 2. παντὶ τῷ πρεσβυτέρῳ ἀπονέμειν τιμὴν τὴν κατ' ἡλικίαν, ὑπαναστάσει καὶ κατακλίσει καὶ τοῖς τοιάτοις. *Omni seniori honor pro etate reddendus est, assurgendo, & sessione cedendo, atque hujusmodi ceteris.* Et Cyrus ad filios apud Xenophontem lib. 7. p. 235. *Equidem ut hac mea vestraque patria sum institutus, natu majoribus, non modò fratribus, sed civibus etiam, de via, sedibus, dicendi loco cedendum esse: sic & ipse, filii, ab initio vos institui, ut majoribus natu honorem principem deferatis, & vicissim minoribus honore præeatis.* Similiter Plutarchus in lib. εἰ πρεσβυτέρῳ πολυτευτίον p. 1413. (t. 3. p. 30.) καθάπερ ὁ νόμος τὸ διάδημα καὶ τὸν



τὸν σέφεινον, ἔγω τὴν πολιὰν ἢ φύσιν ἐνπιμον ἡγεμονικῆ σὺμβολον ἀξιώ-  
 ματ' Ἰππίησι. καὶ τὸ γέρας, ὄμμα, καὶ τὸ γερσίρειν ὄνομα, σεμνὸν  
 ἀπὸ τῶν γερύτων γινόμενον διαμένει, οὐχ ὅτι θερμολατῆσι, καὶ καθεύ-  
 δησι, μαλακώτερον, ἀλλ' ὡς βασιλικὴν ἐχούτων τάξιν ἐν ταῖς πέλεισι,  
 καὶ τὴν φέρησον, ἥς καθάπερ ὀψικάρπυ φυτῶ τὸ ἰκκῆιον ἀγαθὸν καὶ  
 τέλειον ἐν γέρει μόλις ἢ φύσις ἀποδίδωσι. *Ue lex coronam atque dia-*  
*dema, ita canos natura venerabile dignitatis & principatus signum*  
*fecit. Et γέρας (quod eximium honorem) & γερσίρειν (quod venerari*  
*significat) nomen, à senibus factum venerabile manet, non ob id, quod*  
*in thermis lavent, & molliter sedendo vitam otiosè transigant, ve-*  
*rum quia regium in civitatibus locum consecuti sunt, ob prudentiam,*  
*quæ instar serò reddentis fructum plantæ suam & perfectum bonum*  
*in senectute demum, ita natura comparante profert. Notum quoque*  
*est illud Ovidii l. 5. fastor. Magna fuit capitis quondam reverentia*  
*cani &c. Et Juvenalis sat. 13. 56. Credebant hoc grande nefas, & morte*  
*pianandum, si juvenis vetulo non assurrexerat &c. Plura talia exhibet*  
*Tob. Magirus, Avunculus Magnus, in Polymn. tit. senect. n. 49. 53.*

§. II. Tralatum est (2) *ad dignitatem & officium*, hoc ætatis no-  
 men, per metonymiam adjuncti pro subiecto: quia senes præ cæteris ju-  
 dicio, intelligentiâ, sapientia & prudentiâ, & propterea etiam auto-  
 ritate atque dignitate pollent. Sacræ paginæ testantur, *consilium & sa-*  
*pientiam penes senes esse, Ezech. 7, 26. Job. c. 32, 7. & 15, 10. coll. 8, 9.*  
*ubi Eliphaz autoritate senum utitur ad refutandum Jobum. Conf Gre-*  
*gorius M. ad h. l. lib. 12. Job. c. 15. & Hieronymus ad Nepotianum de*  
*vitâ Cler. ubi inter alia scribit: Omnes penè virtutes corporis mutan-*  
*tur in senibus, crescente solâ sapientiâ. - Senectus verò eorum, qui*  
*adolescenciam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini*  
*meditati sunt die ac nocte, etate fit doctior, usu tritior, processu*  
*temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.*  
*Unde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum &*  
*septem annis, se mori cernebat, dixisse fertur, se dolere, quod tunc*  
*egrederetur de vitâ, quando sapere cœpisset. Affert deinceps exem-*  
*pla Platonis, Isocratis, Pythagoræ, Democriti &c. ac Poëtarum, Homeri,*  
*Hesiodi, Simonidis, Stesichori, qui, inquit, grandes natu, cygneum ne-*  
 scio



scio quid, & solito dulcius, vicina morte, cecinerunt. Sophocles, cum propter nimiam senectutem, & rei familiaris negligentiam, à filiis accusaretur amentia: Oedipi fabulam (quam nuper scripserat) recitavit iudicibus, & tantum sapientia in aetate jam fracta specimen dedit; ut severitatem tribunalium in theatri favorem verteret. - Certè Homerus refert, quod de lingua Nestoris, jam vetuli ac penè decrepiti, dulcior melle oratio fluxerit. Prolixius per exempla hoc ex Autoribus diducit laudatus Magirus c. l. num. 22. sq. - 26. Præclare admodum Cicero in de senectute c. 19. Mens, & ratio, & consilium, in senibus est: qui si nulli fuissent, nulla omninò civitates essent. Hinc Aristoteles jubet seniorum pronunciata recipere, tanquam certissima oracula, lib. 6. Ethic. c. 12. Peritorum hominum, & seniorum seu prudentum pronuntiationibus & opinionibus absque demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum est, quia namque ex ipsâ experientia usum habent, principia inveniuntur. Atque hæc est causa, quod, quia senes iudicio & prudentiâ valent, eorumque consilia plerumque recta & salutaria sunt, uti exemplò consiliariorum Rehabeami constat, 1. Reg. 12. 6. - 8. illi iudiciis olim præfecti sunt, ut senili auctoritate alios gubernarent, & tum consiliò, tum iudiciò in rebus dubiis præessent. Nam, inquit Cicero in de senectute c. 6. Consilium, ratio, sententia, nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent Senatum. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam appellantur senes. Sic apud Persas, (verba sunt Xenophontis lib. 1. de Cyri pædiâ) qui annum aliquanto amplius quàm quinquagesimum agunt, seniores vocantur, & ibi non amplius in exercitum eunt extra solum patrium, sed manentes domi, judicant omnes causas, & publicas & privatas. Sed non opus est exteris testimoniis; nobis sufficit vel sola Dei institutio, senes in gubernatores populi eligens Numer. 11, 16. Congrega mihi septuaginta viros è senioribus, quos nosti, quod sint seniores populi. i. e. quos nosti, cæteris esse prudentiores, dignosque, tum ob ætatem, tum ob iudicii dexteritatem, qui præsent. Iudicium itaque atque consilium, quod in senibus est, & auctoritatem ipsorum ætati conciliat, facit, ut dicantur senes, qui iudicio pollent, & seniores populi, qui cæteris dignitate & auctoritate præstantibus viris prudentiores sunt, ad regendum populum, ad causas publicas dijudicandas.



§. III. Quia verò alia *gubernatio est politica*, seu rerum civilium; alia *ecclesiastica*, sive ecclesiae: hinc nomen *Seniorum*, partim ad *magistratum*, partim ad *sacerdotium*, adhiberi coeptum. Ad (a) *Magistratum* quidem, quia *senibus*, ut ex præced §. constat, magistratus & populi gubernatio, ceu prudentioribus, conferebatur. Apud *Hebraeos* res est notissima, & originem suam ex Divina institutione habet, Numer. 11, 16. Exod. 18, 21. sq. Deut. 1, 13. sq. ubi expressè dicitur, quod hi *seniores* iudicis officium obierint, severò hoc additò mandatò: *Quod justum est, iudicate, sive civis ille sit, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* In N. Testamento sæpius fit mentio *Seniorum populi*, qui Sanhedrin constituebant, contradistincti presbyteris τῶν πόλεων, qui erant iudices minorum causarum, quales erant non in aliis tantùm oppidis, sed & in urbe Hierosolymâ. Hic enim erat summum iudicium, in quò etiam Scribæ & Sacerdotes affidebant, quodque κατ' ἰσοχὴν τὸ συνέδριον dicebatur, descriptum à Josephò lib. 9. Antiqv. Jud. c. 1. f. 126. Constitutisque oppidatim magistratibus, hortatus est (Josaphat) eos, ut solius *justitiae respectu* habito jus populis dicerent, nec muneribus corrupti, nec magnatum aut divitum captantes gratiam: omnibusque, quod *equum est*, redderent scientes, quod etiam occulta Deus inspiciat. Hæc cum per singulas duarum trium urbium docuisset, Hierosolyma reversus, hic quoque iudices à sacerdotum ac Levitarum ordine & à primatibus optavit, & hos prius monitos, ut *justè & accuratè jura* populo redderent. Quod si *graviores controversie* deferrentur ad eos, ex aliis cognatis urbibus, de horum negotiis *maiore etiam diligentia* decerni voluit: quod eam urbem maximè *equitatis servantem* esse deceat, in qua & templum simul haberetur, & regia eis summos magistratus ex amicorum numero preposuit, Amasiam sacerdotem, & ex Judæ tribu Zabadiam. De iudiciis urbium idem lib. 4. c. 8. f. 52. scribit: *Oppidatim præsent septem viri probatæ virtutis & justitiæ cultores, singulis magistratibus attribuantur duo ministri de tribu Leviticâ.* - Quod si iudices nesciant de negotio ad se delato pronunciare, sicut interdum accidit, in sanctam urbem integram causam relegent: tum verò Pontifex & Prophetæ unà cum senatu (γερουσία) quod visum fuerit decernant. Ubi

notari



notari meretur, quod illa Synedria sive judicia, tam minora & oppidana, quàm magnum illud in sanctà urbe, non ecclesiastica, sed politica & ἀναγκαστικῆς δυνάμεως fuerint, uti clarè ex Deut. 19, 12. c. 21, 6. Jos. 20, 7. patet, & nihilominus singulis judicum confessibus adfuisse sacerdotes aut Levitas, juris tamen maximè peritos annotante Josepho, & teste Mose Deut. 21, 5. Conf. Job. Lightfootus in Hor. Hebr. ad Matth. c. 26, 3. p. 455. 463. docens, sacerdotibus quidem proprium fuisse ἐκλειτικόν atque confessum, non tamen duplex fuisse Synhedrium, pro rerum Ecclesiasticarum ac Politicarum diversitate. Apud Græcos itidem Senibus concreditum fuisse Magistratum, tum ex testimoniis §. 2. allegatis, tum ex aliis Scriptoribus manifestum est. Apud Homerum aliquoties γέροντες dicuntur iidem, qui ἀεισῆες, Iliad. β &c. Ac Demogerontes fuerunt Atheniensibus, quasi Senatores, quibus à popularibus summa deferebatur autoritas. Apud Romanos, priscos senatores fuisse senes, & vocabulum indicat, & Scriptorum multitudo confirmat. Sextus Pompejus aperte rem tradit: Senatores, inquit, à senectute dici, satis constat, quos initio Romulus legit centum, quorum consilio Remp. administrabat, itaque etiam Patres appellati sunt. In eadem sententia etiam fuisse invenio, Ciceronem, in Catone majore, Ovidium in fastis, Quintilianum lib. 1. c. 6. Florum init. histor. suæ, Plutarchum in comm. utrum seni Resp. gerenda, Eutropium lib. 1. à quibus & Dionysius non dissentit: is confessus, inquit, verbo pro verbo Græcè expresso γερσσίαν, hoc est, senatum significat, & nunc quoque eodem nomine à Romanis vocatur. Pluribus vid. Jo. Sarius Zamoscus lib. 1. de Rom. senatu p. 4 - 37. sq.

§. IV. Ad (β) Sacerdotium postea id nominis quoque applicatum est, ita ut ii, qui ministerium ecclesiasticum obirent, dicerentur Presbyteri, i. e. senes. Et quidem Græcum hoc vocabulum in Ecclesia Apostolica & primitivâ tam frequenter usurpari cœpit, ut successu temporis sacerdotibus proprium manserit, notans ferè semper dignitatem & munus pastorale. Quare autem id nominis ministris Ecclesiæ tributum sit, alii ab ætate, alii à moribus, rationem desumunt, quod grandioris jam ætatis fuerint delecti, vel moribus senes referre debeant. Hugo Grotius in de imperio summorum Potest. circa sacra, peculiarem ac singularem hic affert rationem, cap. II. n. 16. p. 206. Pastores ab Ap. constituti appellati sunt presbyteri: an quod vix alii quàm Senes ei muneri adhiberentur? an quod in Sy-



nagogâ quoque Magistri κατ' ἐξοχὴν eo nomine appellarentur? an (quod mihi non minus probatur) à Magistratibus Judæis sumptâ similitudine? Nam Christus ipse in constituendâ Ecclesiâ, ut Regem se ostenderet, simulque mundani regni spem paulatim animis eximeret, Ecclesiam suam, quamquam omni externo imperio destitutam, ad imaginem quandam judæici regni composuit: eoque modo in sp. m. regni cælestis erexit. Rex unus in populo Hebræo: Et ipse se Regem agnoscit. In Regno duodecim Phylarchæ; Totidem sibi Christus constituit Apostolos: Et, ne dubitaretur, quò respexerit, duodecim ipsis promittit Thronos, in quibus judicaturi essent totidem tribus Israël. In Regno Senatores magni Synedrj LXX. Totidem Evangelistas constituit Christus. Tertia in Regno est dignitas judicum Urbanorum, qui ⲓⲛⲓⲡⲓ vocabantur, quod Græcè est πρεσβύτεροι: In Ecclesia quoque Presbyteri Apostolos & Evangelistas tertio loco sequuntur. Horum Judicum Principes vocabantur ⲓⲛⲓⲡⲓ, quod Græcè est Ἰπὸσκοποι, ut modò diximus; ita & Presbyterorum in Ecclesiâ principes Episcopi. Denique Judicibus his inserviebant, qui ⲓⲛⲓⲡⲓ vocabantur, quod Græcè est, Διάκονοι: neque aliter vocati sunt in Ecclesiâ hi, qui infra Presbyteros sunt constituti. Speciosè quidem hæc omnia Grotius, sed quæ fortè rigorosum examen non omnia sustinent: cum horum nominum ac titulorum, Christi & Apostolorum tempore, promiscuus fuerit usus, & postea demum eorum distinctio atque diversitas observata fuerit. Nam & Apostolus dicebatur Diaconus 2. Cor. 6, 4. Ephes. 3, 7. Col. 1, 23. & Episcopus ac Presbyter itidem, notante Chrysostomo ad Philipp. 1, 1. Cum Episcopis & Diaconis. Quid hoc? An ergò unius urbis plures erant Episcopi? Minimè: Verum Presbyteros ita appellavit. Tunc temporis namque idem adhuc nomen habebant, & Diaconus dicebatur Episcopus. Eodem modo, pro more, Theophylactus ad h. l. ἔπω inquit γὰρ ἦσαν διακεκρυμμένα τὰ ὀνόματα, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἰπὸσκοποι, διάκονοι, καὶ πρεσβύτεροι ἰκαλῶντο. Similiter Oecumenius p. 655. Ratio itaque appellationis hujus simplicissima videtur hæc esse, quod hoc nomen, quod ætatis est, per longum usum gubernatoribus atque præsidibus in judiciis civitatum tributum, in Ecclesia quoque invaluerit, cum hujus antistites non minus synedriorum assessores essent, adeoque ceu nomen dignitatis quibusvis gubernatoribus

COM-



commune extiterit, traductum postea ad ecclesiae Christianae antistites, & quosvis ministros, quibus commissum Dei verbum fuit. Indigitant hanc rationem *Clemens Alexandrinus* lib. 6. Strom. p. 667. *Gr. Nyssenus* hom. 1. in Ecclesiast. t. 1. p. 382. ad 1. Tim. 5, 17. & *Cyrillus Alexandrinus* ad v. 2. c. 3. *Jesai.* p. 55. ubi non ætatis, sed officii & dignitatis nomen esse docent. Hinc etiam in plerisque civitatibus *Seniores & Majores urbis* appellati sunt, qui summam habebant administrationem. Et *πρεσβυτέρειον* dictum fuit, quod ex antistitibus & gubernatoribus constabat. *Hesychius*: πρεσβύτερον, μείζων, γέρον. *Suidas*: πρεσβύτερον, τιμιώτερον, μείζων, *Senior, honoratior, major.* *Malchus* in Byzanticis: τὸν τῶν βαρβάρων ἔχων ἱερέα, ὃν οἱ χριστιανοὶ καλεῖσι πρεσβύτερον. *Habens Barbarorum sacerdotem, quem Christiani presbyterum vocant.*

§. V. Atque ex his quidem luculenter apparet, nomen *senis & presbyteri*, ætatem & officium denotare, idque tum politicum, tum ecclesiasticum: atque in ecclesia Christiana postmodum *sacerdotum* proprium factum esse, uti ex Canonibus Conciliorum, *Critopulô* in confessione Ecclesiae Orient. c. 11. & aliis Scriptoribus constat. Sunt tamen, iique non pauci, qui *πρεσβυτέρειον* in ecclesiis Christianis, non ex meris sacerdotibus, aut verbi præconibus constitisse volunt, sed mixtum fuisse ex *politicis*, viris scilicet gravioribus atque prudentioribus, ex plebe delectis, & *ecclesiasticis* personis, ministris scilicet verbi & sacramentorum: atque hos unanimiter in primitivâ ecclesiâ, cum nondum essent Magistratus Christiani, gubernationi populi præfuisse, atque disciplinam ecclesiasticam administrasse. Quatuor hinc vocis hujus existunt significationes: 1. denotat ætatem. 2. imperium seu magistratum. 3. sacerdotium. 4. correctorium in ecclesiâ, seu assessuram. Verùm sunt, quibus postrema significatio planè non arridet, inter quos est laudatus ante *Hugo Grotius* c. 1. p. 206. *Presbyterorum vocem multi assessoribus Pastorum tributam volunt in novo Testamento, de quo mihi non liquet. Tres hujus vocis significationes video in novo fœdere: easdem scilicet, quas in Patribus.* Unam, quæ ad ætatem pertinet; ut cum *πρεσβύτεροι* opponuntur νεωτέρους, ut 1. Tim. 5, 1. Alteram, quæ ad Potestatem atque imperium; ut cum de his sermo est, qui aut in magno Synedrio aut in minoribus Synedriis confidebant. Tertiam, quæ Evangelii Præconibus convenit. Quartam non reperio. Non pigebit itaque, omnia loca, in quibus vox

πρεσ-



πρεσβύτερος occurrit, evoluisse, & significationem ex contextu, beneficio hermenevticæ, eruisse, consultis etiam bonis interpretibus, ut certò constet, fueritne talis *assessura* vel *conrectoratus* in ecclesiâ primitivâ. nec ne? in hoc verò labore *Concordantiæ* Græcæ egregiam nobis operam præstabit, ut tantùm significationes seligere & in suas classes distribuere, ad exemplum Speciminis, quod olim dedimus, necessum habeamus.

§. VI. Inspectis igitur Concordantiis, & evolutis omnibus locis, invenio, vocem πρεσβύτερος significare: 1. *Ætatem majorem & senilem*, & quidem in sequentibus locis: Luc. XV, 25. ἦν δὲ ὁ ὑἱὸς αὐτοῦ ὁ πρεσβύτερος ἐν ἀγρῷ, *erat autem filius ejus senior in agro*. Cui opponitur in v. 12. præced. filius ὁ νεότερος. Actor 2, 17. *juvenes vestri visiones videbunt, & presbyteri vestri somnia somniabunt*. 1. Tim. 5, 1. πρεσβυτέρῳ μὴ ὀπιπλήξῃς, *Seniorem ne saevius objurges*. v. 2. πρεσβυτέρας *mulieres natu grandiores, ut matres, juniores, ut sorores hortare*. 1. Petr. 5, 5. ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις. Huc refero *Majores*, qui etiam respectu temporis ita dicuntur: Matth. 15, 2. *quare discipuli transgrediuntur παραδόσιν τῶν πρεσβυτέρων*. non quidem seniorum in consessu *Sanbedrin*, sed qui superioribus seculis ante vixerant, ad quorum auctoritatem in causa τῶν παραδόσεων provocabant, Ita Marc. 7, 3. & 5. ac Hebr. 11, 2. *Per fidem testimonium consecuti sunt Majores*, quos deinde recenset. Item peculiarem *Titulum* Johannis Evangel. & Apost. qui seipsum appellat presbyterum, 2. Epist. 1. ὁ πρεσβύτερος ἐκλεκτῆς Κυρίας. Et 3. Ep. 1. ὁ πρεσβύτερος γαίῳ τῷ ἀγαπητῷ. Ubi *Lightfootus* ad Marc. 3, 17. annotat, occasione tituli honorifici Ἐοαννης pag. m. 606. *Cum Johannes ipse seipsum vocet Presbyterum κατ' ἐμφασιν, satiusque notus iis fuerit ad quos scripsit, sub nudo hoc titulo ὁ πρεσβύτερος, non possum ego non suspicari, distinctivum istum charactera hinc ortum. Erant quidem omnes Apostoli etiam presbyteri quod & de seipso ait Petrus 1. Ep. 5, 1. at quero ego, an aliquis è duodecim præter hunc nostrum (mortuo jam fratre Jacobo) notus esse poterit absentibus sub hoc titulo ὁ πρεσβύτερος, nomine proprio non adjecto, ut in duabus posterioribus suis epistolis. Usurpat tamen Paulus ab ætate pariter epitheton simile ad Philem. v. 9. ὡς Παύλος πρεσβύτερος*

βύτης



σβύτης, νυνὶ καὶ δέσμι. II. *Assessores magni Synedrui*, quod ex summis sacerdotibus, scribis, & presbyteris seu sapientibus & juris peritis constabat. Loca extant seqq. Matth. 16, 21. c. 21, 23. 26, 3. 47. 57. 59. 27, 1. 3. 12. 20. 41. 28, 12. Marc. 8, 31. 9, 27. 14, 43. 53. 15, 1. Luc. 9, 22. 20, 1. 22, 52. Johan. 8, 9. in quibus locis nonnunquam dicuntur πρεσβύτεροι τῶ λαῷ. Actor. 4, 5. congregati dicuntur, Ἄρχαντες καὶ πρεσβύτεροι καὶ γραμματεῖς. item 4, 8. & 23. c. 6, 12. 23. 14. 24, 1. 25, 15. Item *minoris synedrui*, qui seniores urbium dicebantur, in causis minoribus, Luc. 7, 3. *Centurio Capernaumi quum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judaeorum*: de quibus dictum §. 3. Huc refero propter analogiam, *Seniores 24.* in Apocalypsi c. 4, 4. 10. 5, 5. 6. 8. 11. 14. 7, 11. 13. 11, 16. 14, 3. 19, 4. nam videntur *sedentes super 24. sedilia, amicti albis vestibus, & habentes super capita sua coronas aureas*: quibus notis tanquam iudices, Assessores & Adprobatores Dei in spiritali iudicio dignoscuntur. Ut enim de ultimo die dicitur, quod 12. Apostoli confidebunt, iudicaturi 12. tribus Israël: & sicut Apostolus dicit 1. Cor. 6. de nobis, quod mundum & angelos iudicaturi simus: ita praesentatur in coelesti isto consessu Concilium, senatus 24. seniorum, iudices, & testes Ecclesiae, à bestia & Pseudopropheta occidendi. Dicit autem 24. senes cum iudice, h. e. plenum iudicium: in quo Ecclesiae ex Judaeis & Gentibus collectae, 12. pro unis & 12. pro alteris adsignati videntur: quamvis h. l. quid per Seniores intelligatur, admodum interpretes discrepent. III. *Sacerdotes seu Ministros Verbi*, & quidem solos, in locis seqq. Actor. 14, 23. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, cum suffragiis creassent illis per singulas ecclesias Presbyteros, precatique essent eum jejuniis Ec. c. 20. 17. accersivit presbyteros ecclesiae. Tit. 1, 5. reliqui te, ut constituas oppidatim presbyteros. 1. Petr. 5, 1. Πρεσβυτέρους τὰς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβυτέρ. Jacob 5, 14. infirmatur quis inter vos, accersat presbyteros ecclesiae. In quibus locis vox ecclesiae, presbyteros hos ab aliis discriminat. IV. *Seniores politicos, & Assessores presbyterii ecclesiastici*, qui cum Ministris verbi unum collegium in ecclesia constituebant. Huc pertinent loca, Actor. 11, 30. *Proposuerunt in subsidium mittere habitantibus, quod fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnaba ac Sauli.* Actor. 15, 2. 4. 22. 23. 16, 4. 21, 18. in quibus

B

locis



locis inter Apostolos, qui tunc Hierosolymæ agebant, & inter Presbyteros distinguitur, quorum illi circa verbum, *bi* cum illis circa regimen occupati erant. *Conjunctim* Ministros verbi & Assesores adducit Paulus 1. Timoth. 5, 17. & 19. illic enim ait: *Qui benè præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime ii, qui laborant in sermone & doctrinâ.* Hic verò: *Adversus presbyterum accusationem ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Atque hæc sunt loca omnia Scripturæ N. T. quibus vox *presbyteri* occurrit, in quibus omnino quædam pro *Assessoribus Politicis* regiminis ecclesiastici facere videntur. Quare operæ pretium est, ut ea loca, cum parallelis, aliquantò accuratius ponderemus, & *Seniores Politicos*, Collegii s. Concilii ecclesiastici Assesores, inde luculentius demonstremus.

§. VII. Ex his (I) Locus 1. Timoth. 5, 17. diligenter nobis considerandus est. Verba ita sonant: Οἱ καλῶς πρεσβύτες πρεσβύτεροι, διπλῆς τιμῆς ἀξιάθωσαν, μάλιστα οἱ κοπιᾶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. *Qui benè præsumt Seniores, duplici honore digni habeantur, maxime ii, qui laborant in sermone & doctrinâ.* Vexatus quidem est locus, propter diversas ac discrepantes interpretum sententias; at si ductum verborum, prout jacent, attendamus, perspicuè mentem Divinam proponunt. Nam (α) *Subjunctum*, de quò aliquid h. l. pronunciatum, sunt *πρεσβύτες πρεσβύτεροι*, non in genere seniores, & ratione ætatis tales, sed in specie *officio presbyteri*, quod addita determinatio, in voce *πρεσβύτες*, clarè indicat. *πρεσβύτες* autem sunt, qui aliis præsumt, & alibi *πρεσβυτάμεινοι* & *ἡγούμενοι* appellantur, licet non sint ejusdem, sed diversi officii. Possunt enim alii præesse gregi doctrinâ & verbi prædicatione; alii verò consiliis, gubernatione, aut disciplinâ: ita ut hi illis, ne in curâ animarum, & Evangelii annunciatione, impediatur, saltem in externis, tum ecclesiasticis, tum temporalibus rebus, siquæ de his controversiæ oriantur, consiliò, judicioque succurrant. (β) *Predicatum* mox subjungitur, *duplici honore digni habentur*, scil. *καλῶς πρεσβύτες*, ob præfecturam scilicet, & officium in ecclesiâ, quò benè & laudabiliter funguntur. Sensus hic est: *Omnes quidem seniores honorandi sunt, sed qui ecclesiæ præsumt, & populum gubernant, duplici honore digni.* Τιμή in genere de quovis honore eis habendò accipitur, ut intelligatur, omni



omni honore præfides ecclesiarum esse prosequendos, & quidem copioso, multo & amplo. Nam διπλῆς h. l. juxta Theodoretum & Theophylactum est idem, quod πολλῆς, μείζονος seu πλείονος, sive reverentiâ, sive subsidiis exhibeatur; modò copiosius, & ampliore mensurâ præstetur, uti duplex pro multis, occurrit Jes. 40, 2. Jerem 16, 18. & 17. 18. Si tamen pressè & simpliciter de duplici honore, uti quidam ex v. seq. concludunt, intelligendum sit, unus erit, notante adh. l. Camera-riô, τῆς πειθαρχικῆς αἰδῆς, alter verò τῆς ἐλευθερίας τεοφῆς, id est, ut hi, & observentur præ cæteris ac colantur, & suppeditentur eis liberaliter necessaria ad victum. Nam utroque magis opus est plus laborantibus, & iis qui pluribus inserviunt, & ad quos plures venire consueverunt. Additur (γ) Subjècti distinctio, ut intelligatur, inter presbyteros πρεσβυτέρους, discrimen quoddam esse, non meritorum; sed officiorum, quod satis clarè innuit his verbis: μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Qui verò laborant in sermone & doctrinâ, sive (ut Grotius per ἐν διαὶ δυοῖν exponit) in sermone doctrina, i. e. quâ verbo DEI prædicando & explicando intenti sunt, vel munere docendi in ecclesia funguntur, per voc. μάλιστα aliis contradistinguuntur, qui hoc officium docendi non habent, & tamen πρεσβυτέροι sunt: quorum quidem officium non exprimitur, satis tamen vel ex ipso nomine colligitur, cum nulli alii ecclesiæ præsent, nisi Ministri verbi, & Magistratus, aut qui ejus vicem obeunt in gubernando populò. Illud enim, μάλιστα κοπιῶντες, esse intensivum subjècti, non prædicati, & discretivum aliorum ab aliis ejusdem nominis, non laborantibus verbo & doctrinâ, patet, tum ex præced. v. 8. ubi maxime domesticorum curam haberi vult; sunt ergò quidam cognati non domestici: tum Galat. 6, 10. ubi benefacere omnibus jubet, maxime domesticis fidei: sunt ergò, quibus benefaciendum, qui non sunt domestici: tum ex Phil. 4, 22. ubi omnes sanctos salutatur, maxime de Cæsaris domo; sunt ergò quidam sancti, qui non sunt de Cæsaris domo. Ita & hoc loco: Presbyteri præfides duplo honore digni habendi sunt, MAXIME verò, qui laborant in verbo & doctrinâ: dantur ergò Presbyteri non laborantes in verbò & doctrina, id est, Presbyteri Laici, quod erat demonstrandum. Atque hinc, ex Constitutione Divinâ tales Presbyteros Laicos esse, & esse debere,



manifestum est; cum inter ejusdem nominis Præsides apertè distingua-  
tur, & distincta officia, distinctaque duo Presbyterorum genera indigite-  
tur, unum eorum, qui laborant, alterum eorum, qui non laborant in  
verbo, sed alia negotia in ecclesiâ tractanda & curanda habent.

§. VIII. Sic mecum intelligunt atque exponunt locum Apostolicum  
ex nostratibus interpretibus plerique Doctores. Egregiè Lucas Osiander  
in paraphr. Bibl. ad h. l. *Presbyteros vocat Apostolus, non unctos &  
rasos, in hunc finem, ut Christum in Missâ pro peccatis vivorum &  
mortuorum offerant: sed viros graves, qui ecclesie gubernationi  
erant præfæcti. Quorum alii mores ecclesie regebant, alii pauperes  
curabant, alii sacramenta administrabant, alii in ecclesia verbum  
Dei docebant. Vult autem Dominus, ut ii, qui fidelem operam in  
Ministerio Ecclesie navant, liberaliter sustententur: imprimis verò  
ii, qui docendo verbum Dei ecclesiam instruunt.* D. Joh. Quistorpius  
in comm. analyt. ad h. l. p. 133: *Seniores his non ab ætate, sed ab offi-  
cio, quod sustinent, dicuntur. Duo illorum notat genera. Unum eo-  
rum, qui docendo Ecclesie inserviunt; alterum, qui non docent, sed  
Ecclesiasticæ discipline & moribus præsumunt. Priores, Pastores, Doctores  
nominantur. Posteriorum proprium nomen nullibi invenio, qui au-  
tem fuerint, ex praxi ecclesie licet intelligere. Sic Act. 15, 6. dicuntur  
cum Apostolis seniores convenisse, ut audirent partes disceptantes.  
Viri illi fuerunt, qui cum Apostolis ecclesiam regebant, & proculdu-  
bio ex numero fidelium fuerunt honoratiores, qui moribus emendan-  
dis præerant, prudentes magis, quàm eruditi. Sicut hodiè Consi-  
storia constant, ex Ecclesiasticis & Politicis personis. Utrosque nominat  
reges: non quod doctores vel præfæcti hi, in collegas, in doctores,  
vel præfæctos imperium habeant, sed ratione Ecclesiastici gregis, quem  
doctrinâ, consilio, prudentia sua regunt. Utrosque hos vult hono-  
randos, non solum externâ honoris exhibitione, sed & necessariâ  
victus & alimentorum, quæ ipsis eorumque familiis sufficiant, sub-  
ministrati. Præfert tamen ex his duobus generibus illos, qui do-  
ctrina & institutioni vacant. Laboriosissima quippe, juxta ac odio  
subiecta, eorum est provincia; labores & vigilias eos sustinere com-  
plurimos oportet, legendo, meditando, docendo, odia expectare &  
invidiam necesse habent; dum peccantium vitia & navos taxant;*  
maxi-



maximè igitur hos honore duplici dignos esse dicit. D. Geörg. Weinrichius ad h. l. p. 245. Sub voce benè præesse, continentur omnia ea, quæ ad officium ministri pertinent. Facit autem hoc loco Apostolus duo presbyterorum genera: Unum quidem, quod potissimum in cognoscendis, & dijudicandis causis inter fratres occupatum est, quales sunt, qui ad Dicasteria Ecclesiastica adhibentur. Alterum verò, quod in prædicando verbo cælesti & erudiendâ Ecclesia suam elocat operam quæ provincia longè molestissima est. Discipulos autem sui monet officii, dum utrosque duplici honore afficiendos esse præcipit, maximè verò eos, qui in sermone & doctrinâ desudant, i. e. qui id unicè operam dant, ut auditores suos in verâ religione erudiant, iisdemque viam salutis monstrant. Hoc enim est laborare in sermone & doctrinâ. D. Abrah. Calovius in Bibl. Illustr. AntiGrot. h. l. p. 985. Hæc (Grotii) de principibus Presbyterorum & Episcopis κατ' ἐξοχήν, aliena fuere, ab ætate Apostolorum. Non ergò huc quadrant. Rectius alii duplex genus Presbyterorum constitui agunt. Alios nempe regentes, alios docentes. Illos Presbyteros Laicos vocant, hos Clericos. Nam & illi in dignitate muneris Ecclesiastici erant, qui à Magistratu constituti disciplinæ Ecclesiasticæ, vel moribus externis, Christianorum ordini in Ecclesia, & conservationi doctrinæ publicæ intendebant, aliisque in regimine externo Ecclesiæ præerant, ac de illis unâ cum pastoribus cognoscebant. D. Joh. Adam Scherzerus, beatus Præceptor noster, in Breviario Theol. Hulfemanniano cap. 17. de Eccl. Synthet. p. 1241. allegans locum 1. Tim. 5, 17. pergit: Qui locus ostendit in primitiva Ecclesiâ duplicis generis Presbyteros, docentes nimirum & regentes, & illos quidem tanquam Clericos, honorabiliores regentibus (quasi Laicis Presbyteris, qui tamen curam gerebant disciplinæ Ecclesiasticæ, & aliorum externorum in Ecclesiâ) fuisse. Quod Papa notet. Is enim, quia non docet, sed solùm regit, tanquam Laicus, quovis Presbytero docente inferior est, juxta præsens Apostoli testimonium. Adjungo quoque aliorum interpretum consensum de Presbyteris Laicis ad h. l. Ita autem Calvinus in Comment. p. 528. seq. Denique significat, non titulo deberi honorem, sed operæ, quam impendunt, qui sunt in officio constituti. Præfert tamen eos, qui in verbo & doctrina laborant: hoc est, qui docendo verbo sunt intenti. Nam due istæ voces rem unam



significans: nempe verbi prædicationem. Sed ne verbi nomine otiosum studium, & speculativum, ut vocant, quispiam intelligeret, adjecit doctrinam. Colligere autem hinc licet, duo fuisse tunc presbyterorum genera: quia non omnes ad docendum ordinabantur. Nam aperte verba sonant, quosdam bene & honestè præfuisse, quibus tamen non erant commissa docendi partes. Et sanè, ex populo deligebantur graves & probati homines, qui unà cum Pastoribus communi consilio & auctoritate Ecclesie, disciplinam administrarent: accessent quasi censes moribus corrigendis. Hunc morem Ambrosius obsolevisse conqueritur, Doctorum ignavia, vel potius superbia, dum soli volunt eminere. Similiter Beza ad h. l. disserit: Hoc nomine Presbyteri, quod alioqui usque adeò generaliter de muneribus omnibus Ecclesiasticis, cum aliqua auctoritate conjunctis dicitur, ut interdum Apostolos etiam ipsos comprehendat 1. Petr. 5, 1. Hoc, inquam, nomine ostendit hujus tractatus series intelligi sic propriè appellatos ab Episcopis, id est, Pastoribus & à Diaconis diversos, & *ωγερωτων* nomine, speciatim dictos, quod essent pastoribus ordinariis assessores in Ecclesiarum gubernatione, quod etiam ex aliis locis liquet. Horum autem duo fuisse genera, unum videlicet eorum, qui in doctrina quoque laborabant, doctores propterea specialiter vocati, pastoribus adjuncti, & quales erant, sub lege in Synagogis οἱ νομικοὶ νομοδιδασκαλοι. Alterum eorum, qui Ecclesiasticam jurisdictionem unà cum pastoribus exercebant, quos Apostolus 1. Cor. 12, 28. *Κυβερνήσεις* appellat. Hinc cæterus ille Presbyterium dictus 1. Tim. 4, 14. & ab Hebraeis HETSDA, & Græcè Matth. 18, 17. Ecclesia, quod totius cujusque nomine & auctoritate publicas censuras exerceret, quarum exemplum habemus Job. 9, 22. & 6, 2. Ejus ordinis pulcherrimi & planè necessarii in Ecclesia Christiana, qualem & à Christo per Apostolos instituti: & in Antichristiana Ecclesia, in Officialium quos vocat Curiam profanissimam transmutati, nostro denique tempore feliciter instaurati. Cæterum Consistorii nomine mos est appellare. Plura, quæ poteram, non addo.

§. IX. Subjungo verò (II.) ex Actis Apostol. c. 15, 2. 4. 22. 23. 16, 4. & 21, 18. ubi Presbyterorum Laicorum expressa fit mentio. Nam (α) Quæstio controversa de Circumcisione in Ecclesia Antiochena, mittitur, decidenda ad Concilium Hierosolymitanum, quod constabat ex Apostolis

&



& Presbyteris, non exclusâ plebe seu Ecclesiâ; expressè enim dicitur v. 4. legatos Antiochenos, Paulum, Barnabam, & quosdam fratres, exceptos esse ab Ecclesiâ, & ab Apostolis, & à Presbyteris. Et v. 22. Visum esse Apostolis, & Presbyteris, cum totâ ecclesia, delectos ex sese viros mittere Antiochiam. Non ergò concluderunt in Synodò soli Apostoli, sed Apostoli & Presbyteri οὐν ὅλη τῆ ἐκκλησίᾳ, nec vel de questione exortâ, vel de personis legationi destinandis, vel de literis synodicis, quid visum solùm Apostolis, sed quid etiam Presbyteris, quid toti Ecclesiæ, pro conclusione synodi habetur, ideò non tantùm Lucas, ita omnibus illis visum, seu ab omnibus sic judicatum & definitum esse, asserit; sed ipsæ literæ Synodales id quoque testantur, quarum exordium est, Apostoli, Presbyteri & Fratres v. 23. rectè hinc decretum Synodale totius Ecclesiæ dicitur, colligente B. D. Calovio in Annot. Antigrot. p. 891. (β) Tres Ordines in hac Synodò referuntur: Ecclesia seu Fratres; Presbyteri; & Apostoli. Posteriores ordines ita sibi contradistinguuntur, ut appareat, alios esse Apostolos, alios verò Presbyteros, in Ecclesiâ Hierosolimitanâ. Bene quippe h. l. Grotius: Apostoli quanquam in se juris satis haberent, & donorum Dei, & auctoritatis, exemplo suo docebant, Episcopos nihil agere sine presbyterorum consilio, probantes laudabilem Synagoga morem. Si qua n. inter Judæos quæstio oriretur, unde justus erat schismatis metus, adibatur Synædrium, instructum viris doctissimis idque ex lege, quæ est Deuteron. 17. & seqq. Sic Christiani, ubi tale quid inter ipsos ortum esset, ibant consultatum Hierosolyma, ubi Petrus erat, & Johannes, & Jacobus, fortè & alii quidam Apostolorum, & Seniores egregii. Quod verò de Roma post Hierosolymæ destructionem addit, rectè à B. Calovio exploditur, utpote documentis historicis non conveniens. (γ) Presbyteri in Ecclesia Hierosolym. qui alterum ordinem constituebant, non fuerunt ex docentium numero; hoc enim munus tunc præsentibus obibant Apostoli, qui, ut eò magis verbo docendo vacare possent, alias curas ecclesiæ in alios transtulerunt, delectis ex ecclesiâ fratribus septem boni testimonii, Actor 6, 2. - 5. Nos in oratione & administratione sermonis perdurabimus. Et placuit hic sermo toti præsentis multitudini. Presbyteri ergò tunc fuerunt, qui partim ærario ecclesiastico administrando, partim regimini disciplinæ ecclesiasticæ, partim liticulis decidendis, ad magistratum gentilem haud deferendis, partim morum censuræ, & aliis externis ecclesiæ negotiis, præ-

præ-



praefecti erant: quique cum *ipsis Apostolis* ecclesiam tunc gubernabant, & quicquid ad ejus *εὐταξίαν*, pacem, & commoda, faciebat, sollicitè curabant. Atque hi sunt *Presbyteri*, qui etiam c. 16, 4. cum Apostolis conjunguntur, *παρεδίδαν αὐτοῖς φυλάσσειν τὰ δόγματα τὰ κεκευμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ.* Similiter c. 21. 18. dicitur, *Paulum cum comitibus introisse ad Jacobum, ubi omnes adfuerint Presbyteri.* Apparet ergò, Apostolos absque *consilio Seniorum*, qui non minus autoritate valebant in ecclesia, nihil disposuisse: quin & fratrum, seu totius ecclesiae suffragia, collegisse. Paulus enim cum exposuisset Congregationi negotium, *Presbyteri* responderunt v. 23. *πάντες δὲ ὡλήθησαν συνελθεῖν.*

§. X. Sed & ( III ) *Seniores populi Judaici*, quorum saepius in historiâ Evangelistarum fit mentio, satis comprobant, curam externi cultus & rerum ecclesiasticarum, *sacerdotibus & Senioribus* communem fuisse. Diximus autem supra §. 3. id ex *constitutione divinâ* originem habere, ut *Seniores populi*, cum sacerdotibus, res externas Ecclesiae curarent. Exemplum Matth. 21, 23. extat, ubi *οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, καὶ οἱ γραμματεῖς*, ( quod addit Marcus 11, 27. ) conveniunt, de potestate docendi Jesu consultaturi. His autem tribus hominum generibus, *Pontificibus* scil. & *Senioribus*, ut parte Senatus, *Legisperitis* autem, ut eorum assessoribus & consiliariis, describitur Synedrium magnum, cujus officium erat, inter veros & falsos prophetas discernere. Quemadmodum verò inter *Sacerdotes*, & *Seniores populi*, & *Scribas*, ( quò nomine Patres Synedrii saepius emphaticè appellantur, ) in populo judaico differentia fuit: ita quoque in ecclesia Christianâ inter *Apostolos* ac *verbi Ministros*, & inter *Presbyteros*, seu eorum *Assesores*, in conventibus ecclesiasticis, tanquam diversos ordines, discrimen extitit, *illis* circa verbum, ejusque praedicationem, *his* verò circa aliud objectum, res scil. externas, occupatis, nisi cum synodus celebraretur, aut de rebus fidei ac religionis Christianae tractandum esset, ut exemplum Actor 15. §. praeced. uberius docet. Itaque ad formam status ecclesiastici, in ecclesia judaica, ubi *Seniores populi* autoritate maximè pollebant; etiam Christiana Ecclesia *Seniores*, autoritate, prudentiâ, & zelo religionis conspicuos, ex instituto vel suasu Apostolorum, elegit, quibus non praedicationis verbi, sed gubernatio Christianorum externa commissa fuit, ut de rebus

ad



ad ecclesiam pertinentibus, juxta cum Doctoribus atque Pastoribus tum cognoscerent, tum judicarent. Disertè id memorat *Ambrosius*, aut quisquis Autor est Commentariorum, qui nomine Ambrosii allegantur, ad I. Timoth. 5. Tim. 5. p. m. 406. *Synagoga, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in ecclesiâ. Quod, quâ negligentia obsoleverit, nescio, nisi forte Doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri.*

§. XI. Sunt verò (IV.) *Loca quoque parallela* in S. Literis, quibus æquipollentes voces, & significantiores quidem, occurrunt, *Presbyteros nostros Laicos* clare probantes, ex quibus primùm adducimus, I. Corinth. 12, 28. *Et alios quidem posuit Deus in Ecclesiâ, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, deinde Potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum.* Ubi observamus (α) *Officia ecclesiastica* diversa, ex diversitate donorum Spiritus S. profluentia, ab Apostolo recenseri, quorum alia *ordinaria* ac *perpetua*, alia *extraordinaria & temporaria* fuerunt. In his autem, cum posteriores duas species, *ἀντιλήψεις ἢ κυβερνήσεις*, in seqq. versibus ubi cætera dona omnia, tanquam gratiæ gratis datæ, discernuntur, Apostolus non repetat; patet inde, illa pertinere ad regimen Ecclesiæ externum. (β) *ἀντιλήψεις*, opitulationes, est abstractum, pro *ἀντιλήπτορες* concreto, quò interpretes Græci utuntur, ac denotatur eâ voce *cura pauperum*, quæ Diaconis erat commissa, ut publicas Ecclesiæ facultates dispensarent, & ex iisdem viduis, pauperibus, ægrotis, peregrinis, miseris, præconibus item evangelii, ea, quæ ad victum vitamque tolerandam necessaria sunt, ministrarent. (γ) *Κυβερνήσεις* verò, itidem abstractum pro concreto, *gubernationes*, denotat ordinem Presbyterorum, ad gubernationem ecclesiæ adhibitorum. Notatu autem dignum est, *Κυβερνήσεις* h. l. recenseri inter officia in Ecclesiâ, & nihilominus à personis politicis exerceri, quibus sacra interna non erant concredita. *Sunt enim Hi* (ut ex aliis *Polus* contraxit,) *qui regimini Ecclesiæ, tanquam Consiliariis adsunt: nam vox hæc apud LXX. consiliarios designat, ut Proverb. 11, 14. & 20, 18. vel, Presbyteri in specie sic dicti, qui cum Episcopis seu Pastoribus Ecclesiam gubernant, discipline & politie ecclesiasticæ custodes.* Nimirum accusaverat Paulus cap. 6. Corinthiorum consue-

C

tudi-



tudinem, quod in rebus controversis ac dubiis coram ethnici Magistratus judicio contenderent, quia hoc ipso pessimè consulerent, tum ecclesiae, tum honestae existimationi: dehortatur igitur variis argumentis, à rixandi & litigandi libidine, & Christianorum apud profanos accusatione. *Sustinet aliquis (inquit v. 1. seqq.) vestrum, habens negotium adversus alterum, judicio experiri sub injustis, ac non sub sanctis? An ignoratis sanctos mundi iudices futuros? quod si inter vos de mundo iudicium fertur, indigni estis minimis iudiciis? An ignoratis fore, ut Angelorum iudices simus, nedum ut de iis, quae ad hujus vitae usum pertinent. Itaque si iudicia habeatis de iis, quae ad hujus vitae usum pertinent, eos qui abjectissimi sunt in ecclesia, eos inquam in subselliis collocatis. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui posset iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Et vel hic ipse locus solus luculenter ostendit Seniorum in ecclesia necessitatem, qui sub gentilibus fratrum seu Christianorum *ἑταίροις* seu res ad vitae hujus usum pertinentes, iudicio suo prudenter decidere atque dirimere debebant, ut scandalum evitarent, & ingens illud dedecus, quod ecclesiae affricarent, ineuntes iudicium coram infidelibus, qui abjecti, & nullius aestimii habeantur in ecclesia, quasi non sint, inter ipsos fideles, multis parasangis digniores, qui arbitri eligi possint, viri sapientia & prudentia pollentes. Hinc ait v. 5. *ad verecundiam vestram dico: scil. quod vilitissimos in subselliis collocatis v. 4. τὸς ἐξῆρτημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῶν κατὰ τὴν ἐκκλησίαν.* Ubi verbum *κατὰ τὴν ἐκκλησίαν* non imperativè, sed indicativè accipiendum est, uti capiunt *Chrysostomus, Hieronymus, & alii.* Ambrosius ad hoc cap. 6. p. m. 258. *Quia ergò sunt, inquit, sapientes fratres, aliqui horum eligantur ad iudicandum, quorum iudicium meretur mundus. Magnus enim pudor est, si inter eos, qui dicuntur Deum cognovisse, non inveniatur, qui examinare possit negotium juxta jus Evangelicum. Ideò autem fratrem iudicem eligendum dicit, quia adhuc Rector ecclesiae illorum non erat ordinatus. Putat enim noster Hunnius, & Seniores, ecclesiae rectores, fuisse ordinatos, quando ad I. Cor. 12, 28. scribit: *Notatur (voc. gubernationes) officium eorum, qui ordinati***

nati



nati erant, ut Ecclesiasticam disciplinam regerent, id quod seniorum erat in primitiva ecclesia.

§. XII. Huc (V) *Loca Rom. 12, 8. & 1. Thessal. 5, 12. 13.* quoque afferuntur. Nam ibi hortatur Paulus eos, qui præsunt ecclesiæ, ut diligenter faciant officium, ὁ ἐπιτάμενος, inquit, ἐν σπῆδῳ. Hic verò adhortatur auditores, ut rectè se gerant erga præsides: *Rogamus vos, inquit, fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & admonent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus ipsorum pacem habete cum eis.* Quamquam autem hæc verba, ad solos verbi ministros applicari possint, qui in verbo laborant, & populum instituunt, atque admonent etiam, tanquam antistites, qui præsunt, uti *Chrysostomus, Theodoretus, & alii* exponunt; attamen, cum Seniores quoque sint ἐπιτάμενοι, & admonere partes litigantes debeant, non minus de his, quam de sacerdotibus accipi potest. Videtur enim Apostolus diversa hæc dona referre, ut alii sint κοπιῶντες, alii ἐπιτάμενοι, alii ὑπερεταύτας, idque clarius patescit ex *Rom. 12, 8.* ubi distincta ministeria in ecclesia recenset: *Unum corpus sumus, habentes tamen dona juxta gratiam nobis datam varia: sive prophetiam, sive ministerium, in administratione: sive qui docet, in doctrinâ: sive qui exhortatur, in exhortatione: qui impertit, in simplicitate: qui præsist, in diligentia: qui miseretur, in hilaritate.* Ubi certè distinctas species vel functiones Diaconicæ ecclesiasticæ, cum suis charismatis sive donationibus differentibus proponit, admonens, ut, quò quisque donatus est talento sive munere, strenuè id peragat e. g. Qui donum docendi habet, utatur eâ facultatè ad docendum alios: qui verò exhortandi gratiam accepit, illo munere naviter fungatur, alios exhortando, & ad pietatem excitando: qui habet officium eleemosynas distribuendi, bonâ fide & simplici corde, sine personarum respectu id faciat: qui functionem habet ægrotos curandi, & peregrinos, exules, miseros, recipiendi, cum hilaritate & animi promptitudine id præstet: denique, qui disciplinæ ecclesiasticæ præsunt, cum studio & sollicitudine officium suum faciant. Specialia munera, atque distinctas functiones ecclesiasticas hic recenseri, admodum perspicuum est: nam inter diaconos & eleemosynarios etiam distinguit, tanquam angustius & latius officium. Μεταδιδῶς enim est



diaconus, praefectus ararii ecclesiastici, ἐλεῶν verò, qui circa miseros & aegrotos occupatus est, & ab illo media accipit ad hos curandos. Posterior aetas hos ἐλεῶντας vocavit *parabolanos*, uti ex *l. quia inter cetera, l. parabolani* Cod. Theodos. de Episcopis, & *l. parabolani* Cod. Justin. tit. eodem constat. Accipiunt ergò plerique interpretes verba Apostoli, ὁ προεστὴς, ἐν σπυδῆ, de Senioribus, & morum Censoribus. Ipse quoque Grotius, qui ferè ad pastores & Episcopos hæc nomina applicat, ita exponit: Προεστῆται hic s. *Thessal. 5, 12. qui s. προεστῶτες* 1. *Tim. 5, 17. sunt οἱ πρεσβύτεροι, ΠΡΟΪΡΑΡΗ sive ΠΡΟΪΡΗ, de quibus Tertullianus: Præsident probati quique Seniores. Horum erat diligenter attendere ad singulorum mores, monere titubantes, lapsos censurâ corrigere, praescribere pœnitentiæ tempus & modum, interdum & relaxare. Hæc cura σπυδῆ dicebatur. Inter nostrates B. Balduinus ad h. l. p. 219. Sextum est, Donum gubernandi alios: Qui præest Sc. Commendat imprimis sollicitudinem & curam Inspectoribus ecclesiæ, ne quid detrimenti capiat Respublica Christiana. B. D. Calovius in Annotat. p. 208. Praefecti, inquit, discipline & εὐταξίας in ecclesiâ conservandæ notantur, quales gubernatores, præter ministros ecclesiæ, quibus illa cura itidem hodiè incumbit, Superintendentes sunt, & quicumque Ecclesiasticis Consistoriis praefecti sunt. Ubi & Cocceji verba addit: Προεστῆτων & προεστῶτων nomine significantur, quasi ante alios stantes: nempe qui se sistunt pro aliis, & eorum causam & jus defendunt, tanquam patroni. In quo cura necessariorum & gubernatio continetur, 1. *Tim. 3. 4. 5. 12.* Similiter Beza ad h. c. Hæc est altera species presbyterorum, eorum videlicet, qui politiam ecclesiasticam administrabant: ab iis diversi, qui in sermone & doctrina laborant, licet eadem voce appellati, ut apparet ex 1. *Tim. 5, 17. quorum munus vocatur κυβερνησις, 1. Corinth. 12, 28.**

§. XIII. Facit (VI) *Locus Matth. 18, 17.* etiam pro stabiliendo Seniorum ordine, quando Christus in privatis offensionibus medium reconciliationis ostendit, & hoc spreto, ad presbyterium remittit, inquiens: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Clarè (α) ostendit contextus, de

de



de vitio morum, injuriis illatis, & offensis fratrum, eorumque reconcili-  
 atione, hic sermonem esse, non de dogmatibus fidei, neque concilio aut  
 supremo in religionis controversiis judicio: docet enim Christus, si quis  
 duorum vel trium arbitratorum, qui & ipsi sint membra ecclesiae, nolit  
 admittere compositionem, quod tunc negotium Ecclesiae committendum,  
 & standum sit (ex mandatō, & instituta per Christum gradatione,) judi-  
 cio plurium, nisi pro ethnico velit haberi. (β) Per Ecclesiam hanc  
 non *privatim* intelligi *universalem*, sed quamvis *particularem*, seu *Eccle-  
 siam representativam*, cujusvis ecclesiae *presbyterium*, vel *Concilium  
 particulare*, constans ex Doctoribus & Præpositis sive Senioribus con-  
 gregatis, qui præter potestatem ordinis, & jurisdictionis, immediatè cum  
 ipsa vocatione, vi juris divini acceptam, id est, docendi verbum Dei, ad-  
 ministrandi sacramenta, cognoscendi & corrigendi publica delicta, etiam  
 habent potestatem delegatam à totâ communitate Pastorum & Audito-  
 rum, cognoscendi & statuendi de cæremoniis ad bonum ordinem in  
 ecclesiâ facientibus, de publicâ interpretatione doctrinæ in capitibus du-  
 biis & controversis, denique de certis quibusdam casibus inter membra  
 ecclesiae, aut totas communitates emergentibus, cum suffragio tacito,  
 vel expresso suarum communitatum, quoad obligationem eorum, quæ  
 statuuntur: *uti loquitur B. Hulsemannus in Breviario c. 18 tb. 1. p. 532.*  
 Qui tamen in seq. th. 3. ex regulâ proportionis à Christo præscriptâ, quâ  
 semper à pauciorum sententiâ (si partes sese submittere nolint) provocan-  
 dum sit ad plures, utilitatem Synodorum commendat: *Maxima, inquit,  
 utilitas est, & veluti moralis quedam necessitas, uti presbyteriorum  
 in singulis ecclesiis, ad conservandas singulas: ita Synodorum ex plu-  
 ribus ecclesiis, sive sint unius, seu plurium provinciarum, & regnorum,  
 ad conservandas plures ecclesias particulares in unitate professionis,  
 & honestate morum.* Sic exponunt atque accipiunt locum de presby-  
 terio, sive ecclesia representativa, ex Doctoribus & Senioribus colle-  
 cta, plurimi interpretes. Sic *Æg. Hunnius* ad h. l. p. m. 1131. Dic Ecclesiae,  
*boc est, devolve rem totam ad cognitionem ecclesie, aut certè eorum,  
 qui tanquam nobiliora membra Ecclesiam representant, ut & si se-  
 veritate, quæ mansuetudine tincta sit, eum objurgent, & ad equita-  
 tem flectere conentur, quo desinat esse in proximum suum vel verbis  
 contumeliosus; vel re & factō injustus.* D. Quenstedt in System. Theol.



de Script. S. c. 4. p. 167. *Christus non loquitur de Conciliis speciatim, sed ὁμιλιωδῶς, de quavis ecclesia particulari, in quâ fratrum offensa tollenda sunt à rectoribus ejus. Penes quos tamen supremum religionis esse judicium, nemo dixerit. Uno verbo: Loquitur Christus non de controversiarum fidei decisione, sed fraternâ correptione, cujus obstinati contemptores excommunicari debent.*

§. XIV. Denique (VII.) *Consensus Antiquorum Doctorem* accedit qui de *Senioribus Politicis*, in presbyterio ecclesiastico assessoribus, luculenta nobis præbent testimonia. *Tertullianus*: Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta preceationibus orantes - Præsident probati quique Seniores. *Ambrosius* ad I. Tim. 5. p. 406. Synagoga & postea ecclesia Seniores habuit quorum sine Consilio nihil agebatur in ecclesia. Quod, qua negligentia obsoleverit, nescio, nisi forte Doctorem desidia, aut magis superbia, dum soli aliquid volunt videri. *Augustinus* l. 3. cont. Crescon. Peregrinus Presbyter, & Seniores Ecclesiæ Musticanæ regionis. Et 136. epist. Fratribus dilectis, Clero, Senioribus, & toti populo ecclesiæ Hipponensis. Cont. in Comm. ad Psal. 36. & serm. 19. de verb. Dom. In Concilio Carthag. A. C. 407. celebr. canon. 6. refert, quod seniores contra episcopum Maurentium causam egerint. *Gregorius M.* quoque hujus ordinis facit mentionem, ut alios taceam. Addo tamen recentiorum Dd. testimonia: *B. D. Hülsemann* in *Brev. Theol. de voc. & ord. Min. Eccl.* p. m. 627. In quavis etiam particulari Ecclesia ex instituto Apostolorum constituti sunt Presbyteri Laici, etiam Magistratus consensu electi, quibus officium prædicandi verbum aut administrandi sacramenta non fuit commendatum; sed tantum, ut moribus externis Christianorum, ordini in ecclesia, & conservationi doctrinæ publicæ intenderent, & de his rebus juxta cum pastoribus tum cognoscerent, tum judicarent. *V. D. Scherzer* p.

1241. &c. &c.

S. D. G.



Coll. diss. A. 128, misc. 40